

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

DEI timore artem, quam præclare tenent, soleant exercere, nihil nisi diligenter præmeditatum tentare & agere. Scriptum, quod miseris, legerunt collegæ, qui valde probant dilucidam explicationem D.D. Jacobi Andreae, optantque D. Illyrico eam mentem, ut acquiescere non dubiæ veritati, publicæque tranquillitati consulere velit. Ex Gallia nihil accepimus; Genevates ab Helvetiorum ordinibus magno studio contenderunt, ut reciperentur in fœdus; Idque (quod mireris) intercedente Galliarum Rege. Sed sunt passî repulsam. Sed benè vale in Christo Jhesu cum tuis omnibus.

Scripti Basileæ, 18. Octobris Anno Virginei partus clō LXXI,

**H**Eckelium tibi commendo, qui diligentia certè, studio, & modèstia sese mihi & aliis egregie approbat, ut spem non vulgarem de ipsius profectu conceperim. Opus certè illi erit aliquantò uberiore subsidio, hac tanta difficultate annonæ, qua ne in Collegio quidem tenuiter vivere quadraginta florenis posset, si cubiculi & lectisternii censum reputer. Si quid ad illum mitretur, per me non incommodè subministrabitur, quo rectius videam, ne quid nisi ad maximè necessarios usus expendatur. Sicut etiam hæcenus illi suppedito, nec gravabor eam curam in me recipere, quod cupiam quovis officio vestræ Scholæ Ecclesiæque inservire. Hodie sub præsi. Priusquam literas clauderem, advenit nobis de Erasmo publicè respondit. Pæppus, optatissimus hospes, ex quo tuam & tuorum incolumitatem cognovi, max. animi voluptate. Urgebimus promotionem ejus omni studio, quo quam citissime Scholæ, Ecclesiæ & tibi restituatur. Per eundem meum de Filiis, dulcissimis meis contubernalibus, consilium perscribam. Erasmus à disputatione absoluta se ad conciones parabit, ut quam primum faciat pro suggestu docendi initium. Idem præstabit M. Philipp. ubi medici permiserint, quorum ex præscripto nunc vivit. Nec dubito, quin successu egregio sit ex Domini gratia exercitationem eam aggressurus, quando & judicio valet, & dicendi facultate & voce; reliqua suppeditabit usus, afflictio & oratio. Pro munere amplissimo agit gratias mea conjunx, quam potest maximas, eademque ex animo dolet, quod nulla ex parte tuâ in ipsam beneficia compensare possit, rogatura Dominum, ut ipse sit benignus remunerator. Iterum vale.

R. d. ex animo totus

S. Sulcerus, D.

LXXVI.

**S** Clarissime vir ac venerande Pater, D.D. Marbachi, Superintendens vigilantiss. D. Joh. Pap. ad nos hodie venit & tuas literas amantiss. mihi attulit. Pergrat

tus Ejus adventus est, unde quamprimum, pro more ac consuetudine scholæ, ipsum albo & matriculis Literatorum inscripsi. Cum autem aliis distinerer tunc negociis, & maxime in exarandis ad D. Schardium, Camera Imp. assessorem, nomine Academiae literis, nec tuam aperire Epistolam licuit, nec cum D. Professore vestro alia conferre, quod in posterum facturus sum. Vix autem hisce expeditis, adsunt magna expectationis ornatissimi Dnn. Magistri, filii tui, & mihi per amplum tuo nomine offerunt munus, uxori exhibendum. Ego non satis mirari potui, qui fiat, quod tua in me sæpe multumque declarata liberalitas, nullum tandem finem accipiat. Ea propter merito detrectavi accipere, quamvis & hic conatus urgentibus filiis frustraneus fuerit, faxit D. ut occasione nacta animi benevolentiam & gratitudinem ostendam. Quod tuas attinet literas, postea perlectas, ne dubites, si opus sit, quin D. Joh. adfuturus sim sedulo, ac jam hac ipsa hora, cum Decano, cujus gratiâ Spiram scripseram, contuli negocium, ita ut sperem, intra paucum tempus rem posse expediri, nisi obstaculo sint exigua verum receptæ nundinæ. Negocium ab opt. viro præteritis temporibus caprum, non sine suo Zelo & amore in Christum ac Ecclesiam ejus, opus habuit certe Palæmone aliquo, quem cum te tum præstantem virum D. D. Jacobum, electos à D. judico, qui & pientissimo conatui, ac felici collationi successum dare velit. Legi modestam ac sanctam actionem, quam piorum nulli improbari posse cædo, nisi *φιλαδελφίας* plane oderint, perpendi, quæ utrinque cum de vocibus, tum de rebus in medium adducta fuere, ex Prophetarum ac Apostolorum scriptis, Patrum, maxime D. Augustini testimoniis, Lutheri item piæ recordationis & Smalcaldicorum articulorum. Ex quibus omnibus (quantum tenui iudicio consequi possum) colligo, optime D. Illyrico cum adversariis (quos ex sua opinione sic vocat) in re ipsa, hoc est, peccati exaggeratione convenire, ut nulla iusta superesse videatur offensionis caula, ac si illud *τὸ ἰερατικὸν* annihilaretur, meritum vero, cogitatione linguisque nunquam satis assecutum Christi, imminueretur, nisi *λογουμαχία* illa substantiæ & accidentis interveniret. Erii autem tua Excellentia in literis ad D. Sulcerum datis, non magis concepit spem, ego tamen maximam de hac controversia sapienda, maxime si cogitem, te tuosque fratres, indefesso studio laboraturos utrinque, nec laborem in D. irritum fore, pro quo præcibimur. Salutant te, D. D. Superintendens, D. Füglinus, ac cum his multi boni viri. Saluta & tu omnes tuos. Basileæ, Aº. 71. Octob. 18.

T. D. & E. deditiss.

Coccius, R.

LXXVII.

*Salutem in eo, qui unica est salus & Redemptio nostra.*

**N**on opus erat, Clarissime & Reverende Vir, frater charissime, tam officiosa gratiarum actione, propter qualiacunque officiola, tibi in transitu

Ddd 2

apud